

Recht verholßen werden. Und soll solches vor und nach gemeldter rechtlicher Hülff/demsen Geschymächten an seinen Ehren/gusen Leu' muthund Handwerk/in alle wege unverlebtlich und ohn Schaden seyn.

AD ARTICULUM. CCXV.

ARGUMENTUM.

Quoties novum patibulum est erigendum, vel vetus reficiendum, omnes sub eadem Jurisdictione habitantes fabri debito modo citati sub pœna decem florinorum in certo loco comparere debent. E quorum numero quidam sorte eligendi sunt, qui sub certa mercede tantummodo a Judice persolven- da citra honoris aut existimationis jacturam opus istud extruere tenentur. Qui si a quoquam propterea convitiis fuerint lacesiti, tum contumeliosus ob istas injurias in auri marcam est condemnandus, ut ita opificibus honor suus illibatus maneat, & ipsi istud opificium in posterum absque omni oprobrio & interpellatione tanquam veri honesti socii istius collegii exerce- re queant.

EXEGESIS.

Duo sunt hujus Articuli membra. I. Occasio hujus Constitutionis : Nempe si novum patibulum erigere, vel antiquum reficerere oportet, quod tum quidam e collegio fabrorum lignariorum convenire, & furcas novas extruere, aut veteres reficere detrectent, quin potius, ut omnes fabri in illo districtu habitantes conjunctas operas in extruendo novo patibulo, vel reparando antiquo præstent, strenue urgeant. Quæ sane consuetudo est planè iniqua. Cum (1) hæc ratio erigendi vel reparandi patibulum, vel etiam alia loca ultimæ executioni destinata requirat nimios sumtus præter necessitatem. (2) Iste sumtus fæpe reposcaritur ab eo, qui delinquentem accusavit, quod quidem ab omni ratione videtur abhorrere, ut accusator sumptus, qui ad erectionem patibulorum requiruntur, erogare teneatur. Etenim qui Jurisdictionem habet, & non aliis suis sumtibus publica jurisdictionis criminalis signa erigere debet. Ideo Imperator illam consuetudinem improbavit, & penitus sustulit.

II. Constitutionis ipsa. Antequam ad declarationem ipsius Constitutionis accedam, notandum (1) *Quod supplicium patibule successerit in locum crucis* : Constantinus enim Imperator pœnam Crucis abrogavit, & hoc in memoriam Servatoris, qui a judæis est cruci affixus, Sozam